# QVÆSTIO MEDICA

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXCVTIENDA IN SCHOLIS Medicorum, die Iouis 2. Decembris M. Symphoriano Haultin, Doctore Medico, moderatore prudentiſsimo.

*An pueri iuuenibus calidiores?*

VITALIS nec tamen cœleſtis calor homini vt temperamento, ſic functionum omnium integritate cæteris animantibus præcellenti, à ſummo naturæ morborummedicatricis opifice inſitus, fundamentum habet in ſpiritu æthereo, animæ & eius facultatum vinculo atque vehiculo, tanto impetu profundiſſimas corporis latebras percurrente & illuſtrante, vt ad intimam oſſium medullam, eorum alimoniam, momento transfundatur. Vt autem ſpiritui vitalis calor inſeparabiliter cohęret; ita ſpiritus quia diſſipabilis & euanidus, in humore primigenio aërio & pingui radicitus inſidet: Ex quibus in vnum concurrentibus τὸ ἔμφυτον θερμὸν efficitur, cuius iacturam nulla victima poteſt expiare. Frigoris vehementiâ natiuus calor extinguitur: caloris violentiâ ſpiritus diſſipantur: Extremo ſenio vel febre ſyntectica humidum radicale abſumitur, ſimulque calor & ſpiritus euaneſcunt. Accidens ſuo ſubiecto commoriatur neceſſe eſt.

CALIDI innati primordia duo, fœcundũ parentis vtriuſque ſemen, & ſanguis mẽſtruus ſolâ copiâ redundans: illud alimenti vltimi & vtiliſſimi reſiduũ eſt, ſpiritu viuifico vegetantis animæ vicario perfuſum, vt ſpecies perenni ſingulorum ex ipſo propagatione conſeruentur: ex omnibus corporis partibus vi teſtium κυριωτάτων elicitur, atque in ipſis formam adipiſcitur, partium deinceps omnium formator & opifex, ſolidarumque materia. Ex menſtruo muſculi & viſcerum parenchymata coagmentantur, parteſque omnes alimentum & incrementum ſuſcipiunt. Hæc caloris humoriſque πρωτογόνου ſubſtantia eò cumulatior quò ortui vicinior; ſingulis momentis irrequietâ caloris actione paulatim exhauritur, ipſeque calor viciſsim familiaris pabuli conſumptione marceſcit.

ENIMVERO temporis vitam dimetientis progreſſu, inſignes in complexione & temperamento corpus patitur mutationes, ex quibus quatuor ætatum differentiæ conſurgunt humoribus & anni temporibus quodammodò reſpondentes. Adoleſcentia ſanguini humorum temperatiſſimo, & veri temporum ſaluberrimo ac fœcundiſſimo. Iuuentus bili rigoriferæ, & æſtati febrium feraci. Inclinans ætas, ſucco melancholico & autumno morbis contumacibus & lethalibus infami. Senectus inediæ patientiſſima, pituitę procreatrix, hyemi pluuioſæ; quâ tamen maior eſt in nobis caloris copia quàm ęſtate. Sunt autem illarum hi ferè limites, Adoleſcentiæ, annus vigeſimus quintus, quo tempore ſiſtitur incrementum: Iuuentutis triceſimus quintus, cùm ſcilicet viuidus coloris flos, viriumque robur ſensim minuitur: Maturæ nonus ſupra quadrageſimum: Senectutis meta mors eſt caloris tabe & marcore inducta.

VT autem ſenectus triplex ſtatuitur; cruda, media, & decrepita; ſic adoleſcentię quatuor ſunt gradus majore vel minore humoris copiâ definiti. Infantia ætatum omnium calidiſſima & humidiſſima primo vitę quaternario concluſa; Pueritia πρόθυμος καὶ εὐκίνητος ieiunitatis intolerantiſſima, ad annum decimum quartum excurrens: Pubertas, caloris pueriles affectus iudicantis ἐκλάμψει nobilis, in maſculis menti & pudendi lanugine, in fœmellis mammarum extuberantiâ, & menſium eruptione, in vtriſque vocis in aſperiorem mutatione atque ſeminis ὀργασμῷ deſignata, ad annum decimum octauum (à quo ad trigeſimum quintum ætates interiectę πρὸς φθίσιν ἐπικινδυνόταται) denique totius nomen ſortita adoleſcentia omnium temperatiſſima.

IVVENTVS & inclinans ætas non ita gradibus diſtinguntur: Sed qui ſuauiſſimo iuuentutis flore liberaliter adoleſcunt, corporis proceritate, formâ, viribus, certandi robore, omni denique voluntatis arbitrio ſuſceptâ actione, cęteris ætatibus longè antecellunt, (quanquam ſenes iuuenibus vt plurimùm minùs ægrotant, morbiſque etiam ſibi cognatis & congeneribus rariùs corripiuntur & correpti remiſſiùs afficiuntur) at in omni operatione naturali velut incremento, coctione, diſtributione, & nutritione germanis inſiti caloris operibus, iuuenes plurimùm à pueris ſuperantur, qui cùm incrementis augeſcant & plurimam ſuæ ſubſtantiæ quæ humida eſt, diſſipationem patiantur, copioſiore & frequentiore alimento indigent, alioquin eorum corpus effluxus copiâ & affluxus inopiâ breui tabeſcet & abſumetur.

*Ergo pueri iuuenibus calidiores.*




Propugnabat IOANNES AKAKIA Lutetianus, anno Domini 1610.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Joannes Couſin.* *M. Hieronymus Goulu. Prof. Reg.* *M. Joannes le Mercier.*
*M. Michaël Toutain.* *M. Gullelmus Leſcaillon.* *M. Petrus Collier.*
*M. Simon le Tellier. Med. Reg.* *M. Richardus Marces.* *M. Simon Bazin.*